

2^o Octavæ, quibus augustiora Mysteriorum et solemniora Festa Sanctorum recoluntur, a Judæorum ecclesia originem habent : Paschatis Festum jussit Deus per septem dies peragi ; Scenopegiæ (Joannes, Cap. VII) et Encœniorum (Joannes, Cap. X) Octavas Christus Dominus præsentia sua comprobavit. His exemplis edocti, Apostoli Paschatis et Pentecostes Octavas primum instituerunt ; tum eorum successores reliquas ad Festa Domini successive indixerunt. — Festis autem Sanctorum sæculo tantum VIII Octavæ assignari cœperunt ; et istæ de Sanctis Octavæ primitus tantum erant Festi et Officii repetitio facta die octava post Festum ; omissa, diebus intermediis, omni quidem Commemoratione. Cujus rei aliquod superest vestigium in Breviario Romano pro S. Agnete, in cujus octava a Festo die fit Officium *S. Agnetis secundo*. — Posteriori ævo, sex dierum intervallum eodem Festi, cujus celebratur Octava, Officio repletum fuit.

De Mysteriorum quæ octonario notantur numero in Sacris Literis, vide Gavantum in Præfatione Octavarii Romani (Edit. Ratisbonen. 1883) ; plura de his dicunt etiam Ephemerides Liturgicæ. (VII, 1893, pag. 264 et sqq.)

Notatur quod hic in Tractatu quæstio habetur de celebratione liturgica Octavarum ab Ecclesia præscripta aut concessa, quæ consistit in recitatione Horarum Canonicarum et in celebratione Missarum de Festis quorum Octava fit ; non autem agitur de solemnitate aut apparatu exteriori quibuscum, concurrente populo, recoluntur quædam Festa, aut aguntur quædam Solemnitates per octo dies, habitis concionibus cum benedictione SS. Sacramenti, cantatis Missis solemnibus, etc., uti fit, ex. gr., in quibusdam Ecclesiis occasione Festi S. Barbaræ, aut Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, etc.

Q. 141. *Recense Festa quæ cum Octava celebrantur.*

R. I. Cum Octava celebrantur sequentia Festa duplicia I classis :

1. Paschatis.
2. Pentecostes.
3. Epiphaniæ.
4. SS. Corporis Christi.
5. Nativitatis Domini.
6. Ascensionis Domini.
7. Assumptionis B. Mariæ V.

8. Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V.
9. Nativitatis S. Joannis Baptistæ.
10. SS. Apostolorum Petri et Pauli.
11. Omnium Sanctorum.
12. Dedicacionis, et Anniversarii Dedicacionis propriæ Ecclesiæ.
13. Principalis Patroni alicujus loci.
14. Tituli propriæ Ecclesiæ.

Præfatæ Octavæ indicantur in Calendario universalis Ecclesiæ, aut præscribuntur in Rubricis generalibus Breviarii, Titulo VII. Præter eas, indicantur in Calendario Archidiocesis Mechliniensis Octavæ :

15. S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, pro tota Archidiocesi Mechliniensi.
16. S. Mariæ Magdalænæ, pro civitate Mechliniensi.

NOTA. I. Octavæ quæ supra recensentur a n. 1 usque ad 11, nempe ab Octava Paschatis usque ad Octavam Omnium Sanctorum inclusive, sunt Octavæ illorum Festorum, quæ ex Ecclesiæ instituto tanta cum religione et solemnitate celebrantur, ut quibuscumque aliis Festis duplicibus I classis semper sint præferenda (cfr. Q. 105, Nota I). Si præferenda sunt hæc Festa, etiam præferendæ sunt eorum Octavæ super alias Octavas occurrentes ; et ita S. Rituum Congregatio declaravit quod Octava Omnium Sanctorum dignior est quam Octava Dedicacionis Ecclesiæ, et huic præferenda. (Decret. 5 Martii 1695, n. 1922, antiq. 3354, ad 1.)

NOTA. II. Anniversarium omnium Ecclesiarum Diocesis, quod una eademque die in nostra Diocesi celebratur (cfr. Q. 105, Nota II), celebrandum est ritu duplici I classis cum Octava, sive Ecclesia propria sit consecrata, sive benedicta tantum fuerit. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Julii 1895, n. 3863, ad 3.)

NOTA. III. Festum Titularis Ecclesiæ Cathedralis recolitur etiam ab universo Clero totius Diocesis sub ritu duplici I classis cum Octava, a Clero Regulari tamen celebratur sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 2.)

NOTA. IV. Festum præcipui Patroni loci, vel Diocesis, si particularis non habeatur, celebrandum est ab omnibus et singulis de Clero qui eodem in loco degunt,

ritu duplici 1 classis, a Clero Sæculari quidem cum Octava, a Regulari vero sine Octava. (Decret. 9 Julii 1895, n. 3863, ad 1.)

II. Cum Octava celebrantur sequentia Festa duplicia 2 classis :

17. Nativitatis B. Mariæ V.

18. S. Joannis Apostoli et Evangelistæ.

19. S. Stephani, Protomartyris.

20. SS. Innocentium, Martyrum.

21. S. Laurentii, Martyris.

Istæ quinque indicantur in Calendario universalis Ecclesiæ ; insuper in Directorio nostro Diocesano præscribitur celebranda per totam Diocesim Octava :

22. SS. Angelorum Custodum.

NOTA. Officium Octavarum quæ in Ecclesia universali celebrantur, quomodo ordinandum sit, in Directorio quotannis indicatur ; attamen duæ sunt Octavæ quarum Officia in Directorio ordinata non sunt, scilicet Patroni præcipui cujusque loci, et Tituli propriæ Ecclesiæ, nisi forte Patronus aut Titulus ex iis sint qui in universalis Ecclesiæ Calendario Octavam habent. Patroni et Tituli diversi in diversis locis et Ecclesiis dantur, et cleri cujusque loci, cujusque Ecclesiæ munus est, quotannis horum Festorum eorumque Octavarum Officia ordinare, necessariasque in Directorio Diocesano mutationes perficere. (Cfr. Q. 145.)

Idem dicendum est de Dedicatione Ecclesiæ, sed tantum in casu quo aliqua Ecclesia consecratur solemniter ab Episcopo, pro ipsa die Dedicationis ejusque Octava ; Anniversarium vero Dedicationis omnium Ecclesiarum in cumulo celebratur, ut dictum fuit Quæstione 105, Nota II, ejusque Octava proinde in Directorio quotannis ordinata reperitur.

Q. 142. *Quomodo denominantur dies alicujus Octavæ, et cuius sunt ritus ?*

R. 1° Octava constat octo diebus : prima dies est ipsum Festum ; postrema vero, dies Octava, vel simpliciter Octava dicitur ; dies intermediæ, a secunda usque ad septimam, vocantur dies infra Octavam, vel aliquando etiam dies Octavæ.

2° Prima dies seu ipsum Festum est ritus Duplicis 1 vel 2 classis, uti indicatur Quæstione præcedenti.

Dies intermediæ, a secunda usque ad septimam inclusive, seu dies infra Octavam, sunt ritus Semiduplicis. Excipe dies secundam et tertiam infra Octavas Paschatis et Pentecostes, quæ sunt ritus Duplicis 1 classis, et inter Festa duplicia 1 classis recensentur (cfr. Q. 105).

Dies infra Octavam non habent sicut Festa semiduplicia Officium integrum ; etenim non habent primas Vesperas (cfr. Q. 102, II), et earum Officium incipit tantum a Matutino et extenditur usque ad Completorium inclusive ejusdem diei ; in earum Vesperis omnia dicuntur ut in secundis Vesperis Festi.

Dies Octava est semper ritus Duplicis minoris.

Ipsa habet sicut Festa duplicia Officium integrum quod incipit pridie diei Octavæ a primis Vesperis, in quibus omnia fiunt sicut in primis Vesperis Festi, nisi aliter notetur in locis propriis, et extenditur usque ad Completorium inclusive ipsius diei Octavæ.

Q. 143. *An Festum aliquod quocumque anni tempore cum Octava celebrare licet ? Explica.*

R. Negative ; etenim Octavæ quæ non reperiuntur in Calendario Romano, prohibentur (nisi speciale Sedis Apostolicæ privilegium detur) : 1° a die 17 Decembris, qua incipiunt in Vesperis Antiphonæ privilegiatæ O, usque ad Festum Epiphaniæ inclusive ; — 2° a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive ; — 3° a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis inclusive.

Quædam Ecclesiæ olim peculiaribus Indultis donatæ fuerunt, ut celebrent Octavas quasdam in Quadragesima. S. Rituum Congregatio, Decreto generali 22 Maji 1894 (n. 3826), declaravit hujusmodi Octavas in posterum non amplius concedi, et limitavit celebrationem earum quæ concessæ fuerunt.

Festum igitur his temporibus sine Octava celebrandum est ; et ita, ex. gr., celebratur sine Octava, quia in Quadragesima semper occurrit, Festum S. Joseph, duplex 1 classis, 19 Martii, etiamsi Sanctus Joseph a Pio IX Summo Pontifice Ecclesiæ Catholicæ Patronus fuerit declaratus.

Si vero dies 17 Decembris, Feria IV Cinerum, et Vigilia Pentecostes occurrant ante Octavæ alicujus inchoatæ sed nondum absolutæ terminum, his diebus advenientibus, cessabitur a celebratione Octavæ, et de ea, licet inchoata et per plures dies jam celebrata, non amplius fiet neque Officium neque Commemoratio.

Et quidem si dies Octava Festi ipsa incidat in Feriam IV Cinerum, aut Vigiliam Pentecostes, aut 17 Decembris, ab Octavæ celebratione cessari debet post Nonam diei septimæ infra Octavam, seu diei ante diem Octavam, ita ut in Vesperis diei septimæ nihil amplius dicatur de Octava; etenim dici deberent primæ Vesperæ de die Octava, ast incipi nequit Officium quod perfici non potest. — Si autem tempus prohibitum, ex. gr., Feria IV Cinerum, incipit a die quæ foret infra Octavam, tunc a celebratione Octavæ cessari debet tantum ab ipsa die prohibente, nempe tantum post Vesperas et Completorium diei quæ prohibentem diem præcedit, ita ut tunc dicantur Vesperæ de die infra Octavam, vel si celebratum fuerit aliquod Festum, de Festo cum Commemoratione Octavæ; etenim perficitur tunc Officium diei infra Octavam quod extenditur usque ad Vesperas et Completorium exclusive.

Hæc regula in pluribus locis et ecclesiis animadverti debet, pro celebratione Festi Patroni loci vel Tituli Ecclesiæ.

Exemplum: S. Amandus, Episcopus et Confessor, plurium locorum Patronus in nostra Diœcesi, et plurium Ecclesiarum Titularis est; ibi ejus Festum, 6 Februarii, celebrari debet ritu duplici 1 classis cum Octava; dies Octava celebratur quotannis 13 Februarii. Anno 1902, dies 6 Februarii erat Feria V ante Dominicam in Quinquagesima, et proinde Feria IV sequens, 12 Februarii, septima dies infra Octavam S. Amandi, erat Feria IV Cinerum, initium Quadragesimæ; sequitur ex prædictis, hac die 12 Februarii nihil amplius fieri potuisse de Octava S. Amandi, nequidem Commemorationem: ultimo loco ejusdem Octavæ facta fuit Commemoratio pro sexta die infra Octavam, in Vesperis diei 11 Februarii, Feria III, quæ dicuntur secundæ Festi S. Vedasti, Episcopi et Confessoris (Officii proprii Diœcesis Mechliniensis).

Anno 1907 Festum idem S. Amandi celebratur Feria IV ante Dominicam in Quinquagesima, et dies Octava incidit in Feriam IV Cinerum; die septima infra Octavam S. Amandi, Feria III, dicuntur Vesperæ secundæ de Festo ad hanc diem in nostra

Diœcesi assignato S. Titi, Episcopi et Confessoris, et in his Vesperis nulla jam fiet Commemoratio Octavæ; fieri enim deberet de primis Vesperis diei Octavæ S. Amandi, sed quia prohibetur diei Octavæ celebratio per Feriam IV Cinerum, omittuntur Feria III Vesperæ Officii quod Feria IV dici nequit.

Et si supponas quod Feria III dictum fuerit Officium de die septima infra Octavam S. Amandi, eadem die dici debent Vesperæ feriales de Feria III ut in Psalterio: non possunt dici Vesperæ primæ de die Octava, quia de eadem die Octava dici nequit Officium die sequenti; neque possunt dici Vesperæ de die septima infra Octavam, quia hujus Officium terminatur post Nonam, et ejus Vesperæ suffici nequeunt primis Vesperis diei Octavæ suppressæ. Ita solvitur dubium super simili casu propositum in Decretis S. Rituum Congregationis, 17 Maji 1692, n. 1875, antiq. 3277; et 23 Junii 1736, n. 2319, antiq. 4044, Reliqua dubia, ad 4.

Aliud exemplum: Festum S. Dymphnæ, Virginis et Martyris, celebratur in nostra Diœcesi 15 Maji; anno 1891, occurrebat Feria VI post Octavam Ascensionis, et dies sequens, 16 Maji, Sabbatum, erat Vigilia Pentecostes: ubi S. Dymphna Patrona vel Titularis est, celebratum fuit anno 1891 sine Octava.

Sed de quo jam fiet, in iis locis aut Ecclesiis, Officium diebus sequentibus, quibus alias ibi dicebatur forsitan Officium de die infra Octavam, et certo Officium de die Octava? His diebus, si nullum infra Octavam occurrat Festum duplex aut semiduplex celebrandum, si in die Octava non sit occasio celebrandi aliquod Festum mobile aut translatum, fiet ibi Officium de Feria, cum facultate, in Quadragesima, dicendi ad libitum aliquod ex Officiis votivis correspondens Feriæ. (Cfr. § 7.)

Imo Officium alicujus Sancti quod ab aliqua die Octava, qua perpetuo est impeditum, assignatum fuit in aliam diem tamquam propriam, non debet ab hac sede assignata removeri et ad pristinam sedem propriam reduci, etiamsi cessante Octava dies propria accidentaliter sit libera. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Julii 1848, n. 2963, antiq. 5124.)

Exemplum: Ubi S. Walburgis, Virgo, est Patrona loci aut Titularis Ecclesiæ, ejus Festum ritu duplici 1 classis cum Octava celebratur die 25 Februarii (vel 26 Februarii, si annus sit bissextilis); Octava dies est 4 Martii, a qua die Officium S. Casimiri, Confessoris, perpetuo impeditum debuit assignari ad primam diem liberam sequentem, 5 Martii, quæ est pro S. Casimiro dies tamquam propria (cfr. Q. 111, ad II). Anno 1897, Feria IV Cinerum occurrit 3 Martii, et cessat Octava S. Wal-

burgis. Die 4 Martii, loco Officii diei Octavæ S. Walburgis, dicitur Officium de Feria V, vel, si placet, Officium votivum de SS. Eucharistiæ Sacramento, et non reducitur Officium S. Casimiri ad suam diem propriam, licet accidentaliter liberam, 4 Martii, sed retinetur in sua die tamquam propria, 5 Martii.

Q. 144. *Quid animadvertendum est pro celebratione Octavæ alicujus Festi, quod accidentaliter a sua propria die transfertur in aliam diem?*

R. « Id semper servetur, quando Festum habens Octavam transfertur, ut non ideo dies Octava transferatur; sed ipsa die de ea fiat Commemoratio, quæ alias erat Octava, si Festum non fuisset translatum. Quod si Festum post totam suam Octavam transferri contigerit, illo anno celebretur sine Octava. » (Rubricæ generales, Tit. X, n. 1.)

Itaque, 1^o si Festum transfertur post totam suam Octavam, vel in ipsam diem Octavam, celebrandum erit eo anno sine Octava.

2^o Si vero contingit Festum transferri infra Octavam suam, amittit tot dies Octavæ suæ, quot numerantur a die qua impeditur usque ad diem translationis; et tunc de diebus Octavæ quæ supersunt a translatione Festi usque ad finem Octavæ, fiet Officium aut Commemoratio ut alias; dies Octava vero celebrabitur in die sua propria, perinde ac si Festum non fuisset translatum non enim Octava prolongatur, neque dies Octava transfertur.

Exempla : ad 1^{um} : Festum translatum post totam suam Octavam. Festum S. Dymphnæ, Virginis et Martyris, celebratur 15 Maji, ritu duplici 1 classis cum Octava, ubi est Patrona vel Titularis; supponitur quod die 15 Maji occurrat Festum Ascensionis Domini, duplex 1 classis cum Octava; per totam Octavam Ascensionis nulla datur dies libera pro translatione infra suam Octavam Officii S. Dymphnæ; prima dies libera est dies 2 Junii; etenim 23 Maji ibi fit Officium assignatum a 22 Maji S. Joannis Baptistæ de la Salle, Confessoris, dein supervenit Vigilia et Octava Pentecostes; transferendum est ergo Officium S. Dymphnæ post suam Octavam; celebrabitur ergo sine Octava.

Festum translatum in diem suam Octavam. Anno 1894, Pentecostes celebratur 13 Maji: 15 Maji, Festum S. Dymphnæ occurrit Feria III infra Octavam Pentecostes, et ubi hæc Sancta est Patrona vel Titularis, debet transferri in primam diem liberam; prima dies libera hoc anno est 22 Maji, Feria III,

quæ præcise est dies Octava S. Dymphnæ; fit Officium S. Dymphnæ in die sua Octava, ergo celebrabitur hoc anno sine Octava.

Ad 2^{um} : Festum translatum infra suam Octavam. Festum S. Georgii, Martyris, celebratur 23 Aprilis, ritu duplici 1 classis cum Octava, ubi est Patronus vel Titularis: anno 1892, Festum Paschatis occurrit 17 Aprilis, et 23 Aprilis, Sabbato in Albis, non potest celebrari Festum S. Georgii, sed ejus Officium transfertur in primam diem liberam, et ante hanc jam nihil de eo neque de ejus Octava fieri poterit. Prima dies libera est 27 Aprilis, quinta dies infra Octavam regularem S. Georgii; hac die fiet ejus Officium ritu duplici 1 classis; diebus sequentibus, 28 et 29 Aprilis, fiet Commemoratio diei sextæ et septimæ ejus Octavæ in Festis S. Pauli a Cruce, Confessoris, et S. Petri, Martyris; et 30 Aprilis, quæ alias erat dies Octava S. Georgii, remanebit ejus dies Octava, etiamsi tertia dies tantum sit inde a translatione Officii, neque ulterius aliquid fieri poterit de Octava S. Georgii.

NOTA. I. In casu translationis alicujus Festi infra suam Octavam, supprimuntur dies infra Octavam quæ currunt a die qua impeditum fuit Festum usque ad diem ejus translationis, et de eis nihil prorsus fit; reliquæ vero dies infra Octavam, inde a celebratione Festi translati usque ad ejus diem Octavam, consistunt quælibet ipsa sua die.

NOTA. II. Animadvertendum est, quod supradicta Rubrica, de omissione Octavæ in casu translationis Festi post totam suam Octavam, applicanda venit tantum ad translationem accidentalem in casu impedimenti accidentalis; nam ex hodierno jure constat, quod in casu perpetuæ translationis alicujus Festi, nempe Tituli Ecclesiæ, vel Patroni loci, hoc Festum plenum jus ad Octavam perfectam retinet et servat. (Decret. S. Rituum Congregationis, 20 Junii 1899, n. 4034, ad 2.)

Q. 145. *Quomodo ordinandum est Officium infra Octavam, et in die Octava, pro Octavis Patroni vel Tituli, quæ non reperiuntur in Breviario?*

R. Si diebus infra Octavam occurrunt Officia duplicia vel semiduplicia, aut transferenda sunt Officia de Festis duplicibus translatis, de his fit Officium, et de die infra Octavam fit Commemoratio in Laudibus et in Vesperis, excepto si Festa essent duplicia 1 vel 2 classis, in quibus Commemoratio omittitur: alias fit Officium de Octava, ritu, ut dictum supra fuit, Semiduplici (Q. 142).

Si die Octava occurrit aliquod Festum duplex 1 vel 2 classis, vel Dominica major, de his fit Officium, cum Commemoratione diei Octavæ in Vesperis et in Laudibus; alias fit Officium de die Octava, ritu Duplici, et Festum duplex vel semiduplex perpetuo in eam occurrens in aliam diem assignatur.

In Officio de Octava omnia dicuntur sicut in die Festi, præter Lectiones ad Matutinum: quarum primæ tres semper sunt de Scriptura occurrente, ex Officio de Tempore; aliæ Lectiones, secundi et tertii Nocturni, si habentur propriæ et approbatæ, dicuntur; si non habentur, repetuntur Lectiones positæ in Communi Sanctorum primo et secundo loco, si de Sanctis fit Octava, alioquin dicuntur Lectiones diei Festi. — In die Octava alicujus Sancti Lectiones secundi Nocturni quæ non reperiuntur in Breviario, deficiente Octavario, debent sumi de die Festo, et non de Communi primo loco. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Decembris 1895, n. 3876, ad 9). — Lectiones tertii Nocturni, sumptæ de Communi, debent semper esse de eodem Evangelio quod in Festo et per Octavam in Missa dicitur; etenim Officium et Missa concordare debent.

Multum prodest pro his Lectionibus usus libri cui titulus: *Octavarium Romanum*, in quo reperiuntur Lectiones II et III Nocturni pro singulis Octavæ diebus; et ita vitari potest repetitio earundem Lectionum quæ recitari solent ab iis qui Breviario tantum utuntur. (Octavarii Romani ultima editio prodiit Ratisbonæ, apud Fr. Pustet, anno 1883, a S. Rituum Congregatione ad usum totius orbis ecclesiarum adprobata.)

In Vesperis, infra Octavam omnia dicuntur sicut in secundis Vesperis Festi; et in primis Vesperis diei Octavæ omnia sicut in primis Vesperis Festi.

Infra Octavam, etiamsi Officium sit semiduplex, ob majorem celebritatem quam Octava significat, non fiunt Suffragia consueta de Sanctis in Laudibus ac Vesperis, nec dicuntur Preces ad Primam et Completorium, ut dictum fuit Q. 102.

Hæc summatim dicta hic sufficiant: quæ ultra in ejusmodi ordine applicandæ sunt regulæ, in sequentibus hujus Partis Sectionibus explicantur.

Q. 146. *Quæ distinctio facienda est inter diversas Octavas? Explica.*

R. Inter Octavas datur distinctio ratione dignitatis, qua revocari possunt ad quatuor ordines, scilicet:

Primi ordinis sunt Octavæ Paschatis et Pentecostes.

Secundi ordinis est Octava Epiphaniæ.

Tertii ordinis est Octava SS. Corporis Christi.

Quarti ordinis sunt omnes reliquæ Octavæ.

Quæ sit hujus ordinis ratio ex sequentibus regulis patebit:

I. OCTAVÆ PASCHATIS ET PENTECOSTES:

Diebus infra Octavam: nullum admittit Officium integrum cujuscumque Festi, etiam duplicis 1 classis. Etenim:

Festa duplicia 1 et 2 classis, duplicia majora (Q. 105-107), et duplicia minora SS. Doctorum (Q. 110), transferuntur post Octavas.

Reliqua Festa duplicia minora, semiduplicia et simplicia, in ipsis Festis, et in diebus secunda et tertia infra Octavam penitus omittuntur; in reliquis diebus tantum habent Commemorationem.

Diem Octavam proprie non habent ista Festa, quia Officium eorum Octavæ terminatur in Sabbato ad Nonam; etenim ex eo quod utraque solemnitas Paschatis et Pentecostes non incipiunt a primis suis Vesperis, sed a Missa Vigiliæ earum, hinc Octavæ desinunt ad illam partem Officii in qua Festa incœpta fuerunt. Quæ autem regulariter forent istorum Festorum dies Octavæ, sunt Dominicæ majores 1 classis, scilicet Dominica in Albis et Dominica SS. Trinitatis (Q. 119).

II. OCTAVA EPIPHANIÆ:

Diebus infra Octavam: admittit tantum Officium integrum Festi duplicis 1 classis. Exemplum: ubi S. Guldula, Virgo, est Patrona loci, aut Titularis Ecclesiæ, celebrabitur ejus Festum, duplex 1 classis, die 8 Januarii, quæ est proprie festa dies hujus Sanctæ. Non tamen fiet Officium de hujusmodi Festi diebus infra Octavam, sed tantum Commemoratio.

In die Octava: nullum admittit cujuscumque Festi Officium integrum.

De Officio Dominicæ infra hanc Octavam dictum fuit

Q. 126, et habet hæc Dominica suas speciales Rubricas.

III. OCTAVA SS. CORPORIS CHRISTI :

Diebus infra Octavam : 1. admittit Officium integrum cujuscumque Festi duplicis occurrentis ;

2. admittit Officium translatum Festi duplicis 1 et 2 classis, iis diebus quibus fit de Octava ;

3. non admittit Officium translatum Festi duplicis majoris, vel minoris alicujus S. Doctoris ;

4. non admittit Officium integrum Festi semiduplicis, sed tantum hujus et Festi simplicis Commemorationem.

5. Dominica infra Octavam, si non occurrit Festum duplex, fit de Dominica infra Octavam, sed Officium hujus Dominicæ non est Dominicale sed festivum, ut dictum fuit Q. 126.

In die Octava : 1. admittit Officium integrum Festi duplicis 1 classis occurrentis, ex. gr., Nativitatis S. Joannis Baptistæ ;

2. excludit Officia integra Festorum duplicium 2 classis, majorum, et minorum SS. Doctorum ; quæ transferuntur ; item reliquorum Festorum duplicium minorum, semiduplicium et simplicium ; quorum tantum fit Commemoratio.

IV. RELIQUÆ OCTAVÆ :

Diebus infra Octavam : admittunt Officium cujuscumque Festi duplicis occurrentis vel translati, et cujuscumque Dominicæ, et Festi semiduplicis occurrentis. — Festi simplicis, Vigiliæ, aut Feriæ majoris tantum fit Commemoratio.

Dominica infra Octavam Nativitatis suas speciales habet Rubricas, et de ejus Officio festivo non Dominicali dictum fuit Q. 126. — Dominica infra Octavam Ascensionis, si non occurrit Festum duplex, fit de Dominica infra Octavam, sed hujus Dominicæ Officium item festivum est, ut dictum fuit Q. 126.

Dominicis infra reliquas hujus quarti ordinis Octavas, si non occurrat Festum duplex, fit Officium de Dominica, Dominicali modo, ut in Psalterio et in Proprio de Tempore, cum Commemoratione tantum de die infra Octavam.

In die Octava : 1. admittunt Officium integrum Festi

duplicis 1 et 2 classis occurrentis, et Dominicæ 1 vel 2 classis ; et tunc diei Octavæ tantum fit Commemoratio. Excipe tamen diem Octavam Nativitatis Domini, quæ simul est Festum Circumcisionis Domini ; etiamsi hoc sit tantum duplex 2 classis, nulli Festo cedit locum.

2. Si sit dies Octava Festi fixi (Q. 113), non admittit Officium integrum cujuscumque Festi duplicis majoris vel minoris, vel semiduplicis ; quæ tunc assignantur in aliam diem ; neque Dominicæ communis, aut Vigiliæ, aut Feriæ majoris, aut Festi simplicis ; quorum tantum fit Commemoratio.

3. Si sit dies Octava Festi mobilis (Q. 113), non admittit Officium integrum Festi duplicis majoris vel minoris S. Doctoris ; quæ transferuntur ; neque aliorum Festorum duplicium minorum, Dominicæ communis, Festi semiduplicis, Vigiliæ, Feriæ Majoris, aut Festi simplicis ; quorum tantum fit Commemoratio.

Q. 147. *Quid dicendum est de qualitate diei infra Octavam, et diei Octavæ Octavarum quæ in præcedenti responso quarto ordini adscribuntur ?*

R. Per Decretum diei 21 Februarii 1896 (n. 3886, ad 1. et 2), rescripsit S. Rituum Congregatio dies infra Octavam tamquam secundarias habendas esse ; diem Octavam vero esse primariam, vel secundariam, prouti Festum ad quod illa pertinet primarium, vel secundarium est. (Cfr. QQ. 104, III ; et 108.)

Cum omnes Octavæ quæ recensentur Q. 141 sint Octavæ Festorum primariorum, omnium earum dies Octavæ sunt primariæ. Excipiuntur tamen dies Octava Dedicationis omnium Ecclesiarum Diœcesis in iis Ecclesiis quæ non consecratæ sed tantum benedictæ sunt ; et dies Octava Titularis Ecclesiæ Cathedralis extra ipsam ; hæc enim Festa ibi sunt tantum secundaria (cfr. Q. 108).

Secundariæ autem sunt, ex. gr., dies Octavæ Festi SS. Cordis Jesu, Patrocinii S. Joseph, ubi hæc Festa ex privilegio seu particulari Indulto cum Octava celebrantur.

Q. 148. *Quæ Octavæ vocantur « privilegiatæ », et in quo consistit privilegium ?*